

Die Urkunden Karls des Großen, 184

Karolus gratia dei rex Francorum et Longobardorum ac patritius Romanorum omnibus fidelibus nostris tam presentibus quam futuris. Quicquid ad loca regni nostri ob amorem domini servorumque dei concedimus, hoc nobis ad eternam beatitudinem vel remedium anime nostre pertinere confidimus. Quapropter compertum sit omnium vestrorum magnitudini, qualiter donamus ad monasterium Epternacum, quod est in honore sancti Petri constructum, ubi sanctus Willibrordus corpore requiescit vel quod vir venerabilis Beonradus in regimine habere videtur, insulam que vocatur Breckera Wetrída in Reno fluvio, quod est inter Breoneras et Rineras, quem Widgarius et Autgarius per nostrum beneficium tenuerunt, donatumque ad ipsum sanctum locum esse volumus cum omni integritate sua ad se pertinente vel aspiciente a die presente tradimus perpetualiter ad possidendum. Propterea hanc donationem auctoritatis nostre conscribere iussimus, per quam omnino iubemus, ut nullus quislibet de iudiciaria potestate aut ex parte nostra vel qualiscumque persona de [hac] insola vel quicquid ad eam aspicit predicto Beonrado abbati vel ipsos monachos inquietare vel contra rationis ordinem vel calumpniam generare non presumat, sed ab hodierno die rectores ipsius ecclesie eam habeant, teneant atque possideant, ut nostris et futuris temporibus ipsi ecclesie dei in augmentis proficiat. Et ut hec auctoritas firmior habeatur vel per tempora melius conservetur, manus nostrae signaculis subter eam decrevimus affirmari et de anulo nostro iussimus sigillare. Actum anno regnante Karolo.